

VI. Ibi erit stridor dentium adeoque frigus intolerabile, ut supra vidimus, saltem probabiliter ostendi ex S. Job: neque impossibile est, intensissimum etiam frigus reperiri in inferno, vel in ipso ejus igne; siquidem etiam in fornace Babylonica altissime succensa fecit Deus medium fornacis quasi ventum roris flantem, Dan. III. Erit vero repentina et vehemens mutatio de uno extremo ad aliud, quæ nihil refrigerii, augmentum pœnæ afferet, ob repugnantiam qualitatum. Sic videmus ferrum candens e fornace in aquam immissum excitare stridorem, ob pugnam frigoris et caloris. Et si pugnant in homine qualitates et morbos creant, quid faciet tam insolita extremi ardoris et frigoris pugna in homine damnato? Typum utriusque hujus supplicii exhibuit diabolus in Japonia, conjuratus in obsessio a quodam pio christiano, Seano nomine, ut refert Cælius, in ep. Japonica missa anno 1582. cum urgeretur ad speciem pœnarum infernalium exhibendum. Respondit enim damnatos pati maxime ab igne et frigore, dumque ita loqueretur, repente obsessus factus est totus candens quasi carbo ignitus, et cepit toto corpore fumare ac sudare. Paulo post cepit dentibus stridere, toto corpore tremere et rigere, quasi in media glaciæ diu perstitisset. Quod si S. Basilio credimus, frigoris cruciatus nequaquam prioribus levior est; siquidem in orat. in quadraginta martyres ait: *Cum truculentissimus quidam tyrannus, Licinius videlicet, martyres illos vehementissime torquere vellet, dimisit illos sub noctem flante Borea in gelidissimum et congelatum lacum, ut ita nudi miserrime interirent.* A quibus unus descivit et in vicinum balneum transivit, vim frigoris non ferens. Atque hæc de frigore dicta sint juxta veterum quorundam patrum opinionem; nam recentiores theologî communiter frigus inferni negant.

VII. Ibi etiam erit confusio pudor intolerabilis, quem indicavit Christus in hodierno evangelio, cum dixit regem interesse convivium, et viso aliquo sine veste nuptiali dixisse illi: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* jussisseque eum e consessu ejici. Quæ res certe ingentem confusionem continet: velut si rex aliquis juberet alicum suum vel etiam filium ejici e palatio per carnificem et unco trahi ad supplicium. Si quis tantum a patre familias juberetur e consessu et convivio virorum honoratorum surgere et exire, ingenti pudore se affectum diceret; quanto magis hoc sentient damnati, cum e convivio filiorum Dei videbunt se ejectos, et ut vilissimorum hominum faciem exturbatos? De illis dicit Dominus, Isa. LXV. *Ecce servi mei læta-*

buntur, et vos confundemini. Illorum enim nuditas et turpitudine patebit omnibus inferni incolis, quam hic etiam coram sui similibus tegere conati sunt: nec auferet hunc pudorem societas reproborum, sed potius augebit, sicuti cum adulter juxta adulteram statuitur præ foribus ecclesiæ. Quam confundentur tunc Christiani coram ethnicis, si, infra ipsos profundius demergantur in infernum, qui hic sedebant in convivio Ecclesiæ regali? Quam confundentur principes et magnates, si videant se inter villissimos homunciones sine ullo respectu volutari et omnium pedibus proteri, imo a vilioribus sibi insultari? Quam pudefient episcopi et sacerdotes, si videant se degradatos jactari et premi inter ethnicos, Turcas et Judæos? Quam exsibilabuntur divites, nobiles, et qui in dignitate constituti erant, cum videbunt se in ordinem redactos et iis æquales vel etiam subjectos, quibus ipsi prius superbe dominabantur? Quæ confusio occupabit illos, qui hic scelera sua coram hominibus et confessariis suis tegebant, et fumum pietatis vendebant? Qui ob respectus humanos Dei cultum et salutaria remedia negligebant?

Atque hoc est, auditores, descendere ad infernum antequam moriamur, si hæc in vita nostra pensiculate meditetur: quod in vitis pp. I. VII. c. XLIV. faciebat quidam sanctus, qui dicebat: « Ego ob peccata mea inferno adjudicavi meipsum, dicoque: Esto cum his, quibus dignus es; istis post modicum annumeraberis. Video igitur ibi pares gemitus et incessabiles lacrymas: aspicio stridentes dentibus, et salientes toto corpore, et trementes a capite usque ad pedes: video et mare ignis bullientis, immensurabiles et circumfluentes et mugientes, ut putant aliqui, usque ad cælos attingere fluctus ignis, et in tremendo illo mari innumerabiles homines dejectos et una voce omnes clamantes et ululantes simul quales nemo super terram ululatus et voces unquam audierat: et sicut arentia omnis virgulti cremare, etc. » S. Greg. I. IV. dial. refert Petr. in eremitam defunctum et protinus corpori restitutum narrasse, se inferni supplicia et innumera loca flammarum vidisse atque in eis quosdam potentes hujus sæculi spectasse: qui cum jam ductus esset ut in illa et ipse mergeretur, subito angelum coruscæ habitus apparuisse, qui eum in igne mergi prohibebat dicens: *Regredere et qualiter tibi post hoc vivendum sit cautissime attende.* Reviscentem tantis se vigiliis jejuniisque constrinxit, ut eum inferni vidisse pertimuisseque tormenta, etsi taceret lingua, conversatio loqueretur. Utinam, auditores, etiam hoc nostro descensu ad infernum et nos respiscamus? Regrediamur

ergo ex inferno et nos, et ita vivamus ut ne morientes ad infernum descendamus.

CONCIO III.

CUR TAM VARIIS PŒNIS INFERNI EXAGITENTUR.

I. Cur pœna damni. — II. Cur tenebris. — III. Cur vinculis. — IV. Cur fletu. — V. Cur stridore dentium. — VI. Cur igne et cur sulphureo. — VII. Cur dæmonum societate. — VIII. Cur vermibus et cur verme conscientia.

THEMA.

Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Matth. XXII.

Rarum et memorabile factum narrat Trebellius Pollio de Mario tyranno. Hic enim cum loco natus humili artem eudendorum ensium initio pertractasset, tandem militari fortuna evectus, imperatoriam dignitatem sibi arrogavit. Sed (en fortunæ ludum) in hoc tanto honoris fastigio miles quidam, cujus opera Marius in fabrilis arte usus aliquando fuerat, gladio eum adoriens transfigit atque insultabundus ait: *Hic est gladius quem ipse fecisti.* Videmus, auditores, in hodierno evangelio iratum regem terribili mortis sententia, quasi gladio oris sui adoriri peccatorem: *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Ac siquidem ex illo querere vellemus, cur tam sævo ac terribili tot suppliciorum gladio adoriatur peccatorem, diceret absque dubio, damnando peccatori: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Tuis tam multiplicibus tamque variis sceleribus has pœnas tibi eudisti quod tibimet intrivisti, exedendum tibi. Neque hoc immerito; scriptum enim est: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus,* Deut. XXV. rursus: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum,* Apoc. XVIII. denique, Sap. XI. *Per quæ quis peccat, per hæc et torquetur.* Cum ergo Dei justitia semper juncta sit ejusdem sapientiæ, adeoque nullam pœnam infligat, absque summa ratione; si non videre, prudenter saltem conicere possumus, quas ob causas inferi tot pœnis exagitentur; id quod hic faciemus.

I. Inferiorum et quidem omnibus communis pœna censetur pœna damni, quæ est exclusio a cœlesti beatitudine, similis confiscationi honorum, cum quis ejiciendus in exilium ad metalla, privatur omnibus bonis et redditur inhabilis ad omnia, tamquam servus pœnæ. Privat enim hominem quinque maximis bonis, cœlesti patria,

amenissima, saluberrima, felicissima spectaculo pulcherrimo, quo fruuntur beati, intendo totam mundi fabricam, et quæ in eo sunt contubernio et societate ss. angelorum et beatorum omnium, lumine gloriæ, ac consequenter visione beatifica, gloria corporis et animæ, justitia vero hæc damnatorum pœna est. Omnis enim peccator quovis peccato duo committit mala: avertit se a summo et incomparabili bono et convertit ad rem creatam, fragilem, caducam, vanam. Unde Jerem. II. ait Dominus: *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas.* Hoc velut duplex in Deum, injuria est. Itaque aversio a summo bono punitur pœna damni, seu abjectione a summo bono Deo; ut sentiat peccator, a quanto bono se averterit, conversio ad creaturam punitur pœna sensus, ut sentiat quo se converterit quam fallaci et fugaci adhæserit creaturæ: atque ita experiatur quantum sit discrimen inter fontem aquæ vivæ, Deum, et cisternas dissipatas creaturas. Quoniam igitur peccator eo ipso, quo avertit se a Deo, abjicit et contemnit Deum, præferendo ei creaturam; meretur hoc ipso excidere a summo bono et abjici a Deo. Quamdiu is in peccatis vixit, tamdiu dorsum vertit Deo. (Ita vidit impios Ezechiel in templo habentes dorsa contra altare, c. VIII.) jure igitur et Deus dorsum ei vertit in gehenna, subtrahendo ei aspectum et vultum suum desideratissimum, quemadmodum minatur, Jer. XVIII. *Dorsum et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum, q. d. sicut mihi vocanti eos dorsum averterunt, ita illis ejulantibus in gehenna vertam ego dorsum; sicut me respexerunt, ita ego ipsos respiciam.* Luculentam hujus rei figuram cernere est in Saule, qui cum posthabito Dei et Samuelis expresso mandato prædam abstulisset ab Amalec, et postularet a Samuele ut reverteretur secum ad supplicandum Domino, noluit Samuel et ait: *Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus; ac sis rex,* I. Reg. XV. Itaque Samuel propheta: *Conversus est ut abiret, ab improbo rege, quia rex dorsum verterat mandanti prophetæ: Vade et percute Amalec et demolire, universa ejus: et quia mandatum prophetæ, ipsius Dei mandatum erat ideo addidit: Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus.* Iterum par pari redditum. Sed quid porro actum. Discedente Samuele: *Apprehendit rex summitatem pallii ejus, quæ et scissa est: et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israel a te hodie.* Prorsus idem agit in peccatore justitia divina. Abscindit Deo peccator summitatem pallii ejus, quia summum gloriæ titulum et esse ultimi finis adimit transfertque in creaturam. Quid

mirum igitur, si Deum vicissim abscindat ab eo cœlestis gloriæ regnum summamque felicitatem? Si vestem gloriæ auferat ei a quo spoliatus est corona sua?

II. Tenebræ, eæque duplices, internæ et externæ. Internæ sunt obliuio præteritarum deliciarum, quarum recordatione adeo non sublevantur, sed cruciantur, ut videantur obliuioni traditæ. Quo sensu Jeremias sub eorum nomine lamentatur in Thren. c. III. dicens: *Repulsa est a pace (prosperitate et gaudio hujus vitæ) anima mea: oblitus sum bonorum.* Quemadmodum enim beati in cœlo non recordantur amplius præteritorum laborum, ob præmii magnitudinem: sic damnati obliuiscuntur bonorum hujus sæculi, ob suppliciorum immanitatem. Hinc epuloni Abraham revocare in memoriam debuit præteritæ vitæ dulcedinem: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua*, Luc. XVI. Tam parum enim prodest inferis fuisse aliquando felices quam si nunquam fuissent, quod testatur illi, Sap. V. *Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam fumus.* Externæ sunt Cimberia illa caligo et obscuritas inferni, utpote a sole et omni luce remotissimi, ingenti terræ mole inclusissimi quas in hodierno evangelio Dominus vocat *exteriore*, q. d. extremas et densissimas in summo gradu. Porro jure merito incidunt in has tenebras; quia in hac vita tenebras amarunt, partim internas, partim externas. Internas: cæcitatem mentis, quam præ luce dilexerunt, ita ut eripi nollent, cum facile potuissent, imo erupturis maledicerent et illuderent, ut testatur D. Joan. cap. III. *Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, etc.* quapropter jure merito condemnantur ad illas tenebras, unde eripi non possunt, ut notat S. August. ep. CXX. ad Honoratum. Externas: noctem et caliginosa loca, quibus gaudent peccatores, ad patranda furta, adulteria, impudicitias, fraudes et imposturas aliaque flagitia. Utrasque tenebras amarant impudici illi senes, qui insidias struxerant Susannæ, internas: *Quia everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cœlum neque recordarentur judiciorum justorum*; externas, quia dicunt Susannæ: *Ecce ostia pomarii clausa sunt et nemo nos videt, etc.* quamobrem jure merito in se experti sunt, quod Susannæ irrogare conati, lapidati enimsunt, qui lapidare eam volebant. Pulchre etiam Daniel ab ipsorum calumnia desumit et pronuntiat in eos sententiam mortis: unus dixit, vidisse se Susannam sub schino, cui respondet Daniel, cum simili Græca voce scindere: *Ecce angelus Domini scindet medium*: alter dixit se vi-

disse eam sub pino, cui Daniel Græca item voce *secare* apposite respondet: *Manet angelus Dominus gladium habens, ut secet te medium*, q. d. quia sub arbore eam vidistis, et violare voluistis, itote in malam crucem.

III. Sunt vincula, ex sententia hod. regis: *Ligatis manibus et pedibus, etc.* Neque hoc immerito, quia enim reprobi, dum vivebant, suaviter Christi vincula respuerunt ac ruperunt, quemadmodum queritur Deus, Jer. II. *A sæculo confregisti jugum, rupisti vincula mea et dixisti: Non serviam*, idcirco alligandi et vincendi sunt in inferno a diabolo, qui hic vinciri noluerunt a Christo. Homines alligantur in infantia, ne e cunis excidant: adultiores facti non alligantur: contra bruta, uti equi et boves, in prima ætate non alligantur, sed adulta primum. Ita homines boni, qui soli vere homines sunt, alligantur dum in hoc sæculo degunt, ad suavem Christi jugum, in cœlo liberi erunt: reprobi vero, qui brutorum vitam degunt, liberi hic discurrunt, dum jugum Christi excutiant, sed vincientur in inferno. Nimirum quia spreto Christi jugo, imposuerunt sibi jugum dæmonis, idcirco id gestare et quidem æternum debent.

IV. Est perennis fletus ob jacturam temporis et tot bonorum perditorum, incursionem quoque tot malorum. Propterea Dominus: *Ibi erit fletus*, inquit, q. d. nullus vitæ hujus fletus illi fletui comparandus, quia nulla hic tam gravis jactura esse potest, atque ibi. Flebunt autem justissime. Primo, quia in hoc sæculo nullis rationibus commoveri ad lacrymas compunctionis poterant. Flevit propter eos Christus et toto corpore lacrymas quasi sanguineas in cruce profudit; flevit coram eis parentes eorum, ut contumaces filios ad frugem revocarent; flevit confessarii et concionatores, suis precibus et hortamentis eosdem stimulando; flevit angeli pacis, internis inspirationibus eorum aures obtundendo. Sed nihil effectum: lapide duriores erant, ne una quidem lacrymula elici ex his pumicibus poterat, fleant igitur in gehenna, et æternum fleant, et incassum fleant, qui hic ad modicum tempus, magno suo fructu flere noluerunt. S. Macarius a fratribus de monte Nitriæ rogatus, ut in Nitriam venire et salutare monito pascere dignaretur fratres, cum lacrymis dicere ortus est: *Ploremus et lacrymas, o fratres, nostri oculi producant, antequam hinc eo migremus, ubi lacrymæ comburunt corpora.* Hoc exordium, hoc medium, hic finis orationis fuit, quo quidem fratres omnes animo percussis, lacrymas et ipsi profundere atque in terram cadere dicereque: *Pater ora pro nobis*, Pelagius interpres, libel. III. num. IX. apud Rosweid.

Secundo, quia in hoc sæculo nil nisi ridere

aliosque deridere, lætari et jubulare consueverunt. Scimus autem dixisse Christum apud Lucam, c. VI. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* Jam vero cum peccatores ad poenitentiam vocantur, cum arguuntur, cum minis terrentur, imò etiam cum castigantur, sæpe rident, cachinnantur, subsannant suos correctores, quemadmodum fecerunt homines plerique paulo ante diluvium. « Tum multi prædicabant et vaticinabantur, inquit Beros. Chald. l. I. et lapidibus excidebant de ea, quæ ventura erat, orbis perditione, sed enim illi assueti corridebant omnia, etc. » Quod fecerunt illi, hoc faciunt etiamnum obstinati peccatores, qui et: *Quasi per risum operantur scelus*, Prov. X. Audiamus Isaiam, c. II. sic scribentem: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad calvitium et ad cingulum sacci. Et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.* Sed quid ad ista Deus? Sequitur: *Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas, hæc vobis donec moriamini? dicit Dominus, d. q. convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum: et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium, et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum, uti dixit per os Amos, cap. VIII.*

Tertio, quia aliorum oculos sæpe lacrymis opleverunt. Justum igitur est, ut suos quoque impleant, scriptum enim est, Prov. XI. *Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.* Inebriarunt alios lacrymis: inebrientur ergo et ipsi, et quidem secundum mensuram confertam et coagitatam.

Quarto, juste plorant instar mulierum, quia non pugnarunt instar virorum. Hoc responsum dedit Chiquitoni regi Granatæ mater ejus, cum e regno et arce sua pulsus a longe ea aspiceret plorans, uti diximus alibi.

V. Stridor dentium, per quem intelligere possumus partim famem inferorum intolerabilem, partim frigus intensissimum. De fame testatur David, Ps. LVIII. *Famem patientur ut canes.* Cui jungenda sitis incomparabilis, cujus testem habemus epulonem. Sævis etiam est hic gladius. Quid enim non faciunt homines ut famem sitimque pellant? Comedunt equos, canes, feles, mures, glires, gramen, corium, excrementa pecorum. In exercitu Cambysis regis, Æthiopiam petentis: « Sustinebant famem, inquit Seneca, l. III. de ira, cap. XX. primo tenerrima frondum et cacumina arborum, tum coria igne mollita et quid-

quid necessitas cibum tecerat. Postquam inter arenas radices quoque et herbæ defecerant, apparuitque inops etiam animalium solitudo, decimum quemque sortiti, alimentum habuerunt fame sævius. » Parum hoc, multæ matres proprios liberos jugularunt ac vorarunt, imo aliqui proprios artus, ut famem nonnihil sedarent. Sævus igitur et crudelis gladius est famis quæ tam diris modis pellitur. Sed hunc gladium, o inferi, ipsi vos fecistis. Quod enim ait Dominus, Luc. VI. *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.* Exemplo sit epulo ille, qui in tartareis flammis linguam siti æstuantem refrigerari supplex petiit. Et cur linguam maxime? Quia per eandem in cibo et potu immoderato, utpote quotidianis conviviis graviter deliquerat: excessus igitur gulæ excessu sitis puniendus fuit.

Non pauci etiam de frigore stridorem dentium exponunt, quia frigus stridere dentes facit. Quod si igitur inferi frigore etiam puniuntur, juste puniuntur, ut qui nullis Dei beneficiis, nullis admonitionibus, precibus, blanditiis, minis et suppliciis ad amorem Dei incalescere voluerunt. Et qui tot Dei beneficiis, præsertim incarnationis, accendi non potuerunt, quorsum, rogo, pertinent, nisi ad glaciem stygis?

VI. Est ignis sulphureus. De igne frequens testis est in evangelio Christus, cujus vel solius testimonium nobis satis superque esse debet. Voluit autem Dei justitia per ignem maxime reprobos punire. Primo, quia ut ignis supplicium omnium, quæ sciamus, est gravissimum atque acerrimum, ita peccatum, quod admiserunt, malorum omnium maximum est. Maximo igitur malo maximum debetur supplicium. Deinde, qui per ignem cupiditatis, avaritiæ, luxuriæ, iræ, invidiæ maxime peccant homines; igne igitur puniendi sunt; quemadmodum et Absalon, quia capillos suos nimium dilexit sibi in iis vane placuit, e capillis suspensus arbori adhæsit. Denique, ut Deus viventium adhuc hominum libidinem peccandi coerceret, apposuit eis ignem et aquam (supplicium gravissimum et refrigerium suavissimum): ad quod voluerunt, extendant manum suam, Eccl. XV. Si ergo ignem elegerint, sibi hoc adscribant. Et hic igitur gladius est, o inferi, quem ipsi vos cudistis.

De sulphureo porro igne testem habemus D. Joannem ap. c. XIV. XIX. XX. et XXI. ubi crebro asserit reprobos missos esse in stagnum ignis et sulphuris. Debent autem illis sulphuris suffitus, quia sordes et fœtores avaritiæ, gulæ et luxuriæ amarunt uti Sodomitæ, ac veluti: *Jumenta computruerunt in stercore suo*, Joel. I. Deinde, quia delictuli et carnis mancipia suavi semper odore re-

creare nares volunt, moscho et cybetto imbuere vestes suas, gravioris vicissim odoris impatientes sunt, viles captivos et pauperes ægros eorumque ulcera aversantur, ideo eis continget, quod scriptum legimus, Isa. III. *In illa die erit pro suavi odore fœtor.* Hinc sæpe qui delicatissime enutriti sunt, teterrime fœtent in morte, uti Antiochus Epiphanes, qui morti vicinus ne ipse quidem fœtorem suum ferre poterat, H. Macchab. IX.

VII. Dæmonum et aliorum damnatorum perpetua societas; siquidem de igne æterno pronuntiat Christus: *Qui paratus est diabolo et angelis ejus, Matth. XXV.* Sicut ergo beatis ingens gaudium est versari cum beatis aliis, ita damnatis ingens æror erit versari cum dæmonibus et damnatis aliis; tum quia res miserrima est cogi semper esse in medio miserorum, pati aspectum omnium malorum, quæ eis inferuntur, et audire querimonias; tum quia omnes se mutuo oderunt; tum quia valde credibile est, dæmones etiam post iudicii diem fore tortores hominum, ipsos etiam damnatos velut rabidos canes in se mutuo sævituros. Eo videntur pertinere verba illa Eccl. XXXIX. *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt: et in furore suo firmaverunt tormenta sua.* Justum vero hoc tormentum est, ut sentiant damnati dominorum suorum clementiam et benignitatem, quibus se per peccatum subjecerunt, seu ut Lyranus in illum locum ait: *Ut qui fuerunt eis voluntarie subjecti in culpa, eis involuntarie subjiciantur in pœna.* Cum princeps sacerdotum Ananias præciperet adstantibus ut percuterent os Pauli, respondit Paulus: *Percutiet te Deus, paries dealbate, Act. XXIII.* Pari jure reprobi, quia præter fas et æquum alios percutere ac premere consueverunt, ideo mandabit Deus ministris suis, dæmonibus, ut vicissim in inferno percutiant eosdem. Valerianus imp. cum fidei christianæ sacra cœpisset conculcare, a Sapore Persa comprehensus et pro scabelli usu adhibitus, quoties Sapor equum ascenderet, ab eo conculcatus fuit, apud Eus. I. VII. hist. c. IX. Idem sentiunt damnati, quia enim Deum et sacra omnia pedibus calcantur, ideo etiam ipsi calcantur a dæmonibus, veluti scabella et mancipia eorumdem. Denique, quia dæmonis jussa facere quam Dei maluerunt, ab ipso consilium et opem in adversis requisierunt, ab eodem verbera pro mercede capient, uti Hebræi a Pharaone, pro opere lateritio, in regis commodum peracto. Ita Salomon argumentatur, Sap. XIII. *Quod quidam errantes colebant mutos serpentes et bestias superoacuas (Græce viles) immisisti illis multitudinem mutorum*

animalium in vindictam, ut scirent, quia per quæ quis peccat, per hæc et torquetur. Unde non improbabilius concludunt aliqui, dæmones assumpturos varias terribilium bestiarum formas, ad terrendos homines, socios pœnarum, prout ipsi peccaverant, juxta id Deut. XXXII. *Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram atque serpentium.* Oculos lascivorum terrebunt aspectu monstrorum, leonum, draconum, serpentum, bufonum: aures curiosorum, rugibus, mugitibus, clamoribus, maledictis: nares affligent teterrimo odore et plusquam hircino fœtore: linguam et gustum felle et absinthio, veneno aspidum, felle draconum, et si quid his amarulentius est: tactum igneo ardore et mutua corporum compressione atque immensa angustia. Quicumque igitur hic cum inimicis suis loqui, comedere, confidere detrecharunt et quidvis aliud potius pati maluerunt, quam juste punientur, si cum inimicis suis, necnon cum infensissimis sibi dæmonibus æternum considerebunt, nec unquam ab eorum lateribus poterunt discedere?

VIII. Est vermis assidue rodens, quod testatur Isaias, c. LXVI. et ex illo Christus Marc. IX. *Vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur.* Porro multi per hunc vermem intelligunt veros et proprie dictos vermes, qui torquebunt inferos, uti Sanctus Augustinus, lib. XXI. de civitat. cap. IX. Basilius, in Psalm. XXXIII. Innocentius III. pontif. I. de contemp. mun. cap. I. S. Anselmus, in elucidario: *Tertia, inquit, pœna in inferno est, vermes immortales, id est, serpentes et dracones visu et sibilo horribiles, qui ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma.* Apposite vero damnati puniuntur per hos vermes. Cum enim omnis pene caro corruperit viam suam et pleraque reproborum peccata sint carnalia, videamusque passim grassari libidinem, gulam et crapulam, apte puniuntur putridis istis vermibus, qui ex gula, libidine indeque putenti carne oriri solent. « Quid namque caro, inquit S. Gregorius, lib. XVI. mor. c. ult. nisi putredo ac vermis est? Et quisque carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quam vermem amat? »

Recte etiam et plerique alii per hunc vermem intelligunt conscientiam inferos mordentem; quæ primo, ponet illis ob oculos culpas et flagitia eorum, quæ prius æstimare et agnoscere noluerunt, quo modo Theodos. diaconus Constantem imp. fratrem, a quo primus attonsus et postea iniquissime interfectus erat, crebro per quietem ipsi apparens, habitu diaconi infestavit et poculum sanguine plenum porrigenis dicebat: *Bibe, frater; fugientem quoque et loca permutan-*

CONCIO IV.

JUSTA PECCATORIS CONDEMNATIO OSTENDITUR.

- I. Peccatorem inexcusabilem ostendit scientia ipsius. — II. Ostendit ejus voluntas. — III. Ostendit proprium iudicium. — IV. Ostendit peccati gravitas. — V. Ostendit factum ipsum.

THEMA.

At ille obmutuit. Matth. XXII.

Quam vere dixit apostolus ad Hebr. X. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis!* Ecce enim in hodierno evangelio terribile iudicium, quod exercuit in hominem, non homicidam aut latronem, non furem aut adulterum, non seditiosum aut maleficum; sed in hominem dumtaxat carentem veste nuptiali, charitate nimirum et virtutibus christianis. Quodque amplius est, damnat hominem non auditum, nec confessum. Reus obmutescit, non excusat, non petit veniam, non negat, affirmat. Cæteri convivæ omnes, stant attoniti et regis voce perterriti: nemo unus illorum pro reo supplicare, aut sententiæ executionem impedire audet, quinimo jubentur et debent ipsi exequi iudicium: *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Quis hic non contremiscat? Sane in iudiciis humanis interrogatur et auditur reus: preces et excusationes ejus sæpe admittuntur: reus se defendit aut certe veniam implorat: inveniuntur qui pro illo supplices afferunt libellos. Nihil horum hic factum aut concessum, et quamobrem? An quia hic reus repræsentat hominem in peccato morientem, ubi cælestis rex cum eo intrat in iudicium? Sane ita est. Testatur S. Job, c. IX. *Si repente interroget, quis respondebit ei?* inquit. Nimirum coram Deo quilibet peccator adeo inexcusabilis erit ut nec verbum quidem pro se respondere queat, quod hic palam faciemus.

I. Ergo peccatorem inexcusabilem ostendit scientia ipsius. Nam primo, scivit lumine naturali, Deum non offendendum, et malum esse peccare: deinde, lumine fidei multo clarius id agnovit. Hac ratione arguit apostol. ad Rom. I. gentiles quod cum ex creaturis cognovissent Deum, non glorificaverint eum, sed in omnia scelera se effuderint: *Ita ut sint inexcusabiles,* inquit. Deinde, cap. II. multo magis Judæos tamquam magis adhuc inexcusabiles. Gentiles enim lumine naturæ tantum et obscure intelligere poterant gravitatem et supplicia peccatorum, Judæi autem præterea noverant eam per legem Mosaicam et doctrinam prophetarum: *Propter quod, inquit, inexcusabilis es, o homo, qui*

tem majoribus insequeretur clamoribus, Theophan. apud Baron. an. 659. Scriptum enim est, Ezech. XXXV. *Cum sanguinem oderis, sanguis te persequetur.*

Secundo, ponet eis ob oculos magnitudinem cælestis præmii, quod sua culpa perdiderunt: gravitatem atque æternitatem pœnarum, quas incurrerunt sua sponte. Hæc enim quia in vita cæcorum instar videre noluerunt ibi in medio tormentorum videbunt; quo modo epulo cum esset in tormentis vidit Lazarum, quem prius præ foribus jacentem noluit videre. Exacuit et animat hunc vermem justitia divina, faciendo ut mens eorum hæc omnia assidue et acriter apprehendat, cogitet et recogitet.

Tertio, devorabit inania illorum vota, quæ mente agitabant, cogitando: *O si hoc vel illud egissem!* *O si mihi ad vitam vel per unam horam redire liceret, etc.* Hæc enim omnia vana et inania esse ostendet, sicque ad desperationem eos adiget atque in furoribus convertet, ut seipsos dilaniare, ac commanducare linguas suas incipiant præ dolore, et blasphemare Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis, ut dicitur Apocal. XVI. et sic agant pœnitentiam frustraneam, qui prius agere noluerunt fructuosam, et seipsos lanient qui prius membra et sensus suos mortificare noluerunt. De Zenone Eutyechiano imp. quem uxor vivum in ebrietate sepelivit, scribit inter alia Cedrenus: « Satellites qui ad sepulcrum, in quo repositus fuit, custodiendum erant collocati, retulerunt se per duas noctes lamentabilem vocem e sepulcro audivisse: Misere mini, et aperite mihi. Cum illi dicerent: Alium jam regnare: Nihil, inquit, curo, in monasterium me adducite. Sed cum non aperiretur, ferunt aliquanto post monumentum fuisse reclusam, inventumque in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos manderat, et caligas quas gestabat. » Hunc in modum inferi in stygio sepulcro inania concipient vota: *Aperite o superi, aperite.* In monasterium me detrudite, cædite, concidite, etc. qui nihil horum audire, dum viverent, volebant.

Quando igitur videmus, auditores, sævissimum illum damnationis gladium sibi in suum malum reprobos eudisse, mirari jam non possumus, cur obmutuerit homo ille a rege increpatus ob defectum vestis nuptialis. Quid enim respondebit peccator ad iudicis sententiam, quando eam sibi quodammodo in se dictavit? Videat ergo unusquisque, si salutem suam amat, quid agat cum peccatum aliquod perpetrat, quantum sibi malum creet, etc.